# JACOBI NIEUWENHUIS

# ORATIO

DE

VARIA PHILOSOPHANDI RATIONE, CUM MENTIS HUMANAE INDOLE ET PROGRESSIBUS COMPARATA.

HABITA A. D. XXXI OCTOB. MDCCCXVII.

QUUM IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE PROFESSIONEM AUSPICARETUR.

*DAVENTRIAE*

APUD J. H. DE LANGE

ATHEN. TYPOGRAPHUM.

MDCCCXVII.

AMPLISSIMIS

CIVITATIS DAVENTRIENSIS

RECTORIBUS

ET

ATHENAEI ILLUSTRIS

CURATORIBUS

VIRIS GRAVISSIMIS, MAGNIFICIS,

SACRUM.

CIVITATIS DAVENTRIENSIS CONSULES ET SENATORES, VIRI GRAVISSIMI!

CETERIQUE REGIONIS DAVENTRIENSIS RECTORES ET JUDICES, VIRI AMPLISSIMI!

ILLUSTRIS ATHENAEI CURATORES PRUDENTISSIMI!

QUI COLLEGIIS ILLIS AB ACTIS ESTIS, VIRI HONORATISSIMI!

MAGNIFICE RECTOR, CETERIQUE ARTIUM DOCTRINARUMQUE PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

LITERARUM DIVINARUM INTERPRETES FIDELISSIMI! PLURIMUM VENERANDI!

QUARUMVIS ARTIUM ET DISCIPLINAM DOCTORES ET MAGISTRI ERUDITISSIMI!

CIVES, HOSPITES, CUJUSCUNQUE LOCI, ORDINIS AC DIGNITATIS, AUDITORES OPTATISSIMI!

VOS DENIQUE JUVENES LECTISSIMI, QUI IN ILLUSTRI HOC ATHENAEO AD INGENII DOCTRINAEQUE LAUDEM CONTENDITIS, NOSTRA CURA ET VOLUPTAS!

Va-

Varias opiniones proferre, *θεωρίας* conflare, in partes oppositas modo vario abeuntes, saepius neglectis experientiae testimoniis; Συςήματα componere, concursum philosophorum sustinere, vel de omnibus dubitare, omne veri criterium tollere, omnem humanae cognitionis fidem atque auctoritatem labefactare: denique, viribus confectis, eclecticam philosophandi rationem sequi, aut mysticam illam, quae nostris temporibus *Platonicorum Alexandrinorum* sententias, ut et JORDANI BRUNI placita ab Orco reduces in lucem

protraxit: — En A. A. H. H. fata philosophiae theoreticae, ad hunc usque diem, praecipua!

Quae modo ex arctissimo positionum nexu deduxerunt PLATO, ARISTOTELES, LEIBNITIUS, KANTIUS, aliique Viri acutissimi, argumenta in dubium revocare, sequentibus philosophis non est religio.

Quae cum ita sint, non miror, quapropter res philosophicas pauciores curent: non miror, quare de philosophicâ juventutis disciplinâ plurimi perverse sentiant, atque dissensu philosophorum commoti, vehementer querantur de philosophiae theoreticae vanitate! Licet autem nostrum non sit tantas lites componere, easque nullo fundamento nixas esse minime arbitremur; longissime tamen erraremus, si e dissensu philosophorum ipsam philosophiam judicare vellemus. Hoc quidem nostris temporibus pluribus accidit, qui studia philosophica prorsus negligentes, proelii ru-

me-

mores e longinquo audiunt, multos de ſuo curru triumphali quippe fragili ipſos cecidiſſe in vulgum ſpargunt, terrore panico commoti circumſpiciunt, per totum ſcientiarum orbem devastationem timent, et de viâ clamitant, ut concurſus ſiat bonorum omnium, quaeque ex eorum opinione rebus publicis ſacriſque minentur, discrimina evitentur.

Cogitanti ſaepe numero de his ſimilibusque erroribus, qui e disſenſu philoſophorum vulgo hauriuntur, tanquam ex ipſo fonte turbulento, nec a perſona quam hic gero, nec a muneris quod hodie auſpicor, ratione, nec etiam a noſtro tempore alienum mihi viſum est, ſi ex ipſâ philoſophiae historiâ, ex ipſo philoſophorum disſenſu, praeſtantiam ingenii humani, dignitatemque philoſophiae vobis oſtendam.

Sed quis ego ſum, qui hoc opus, tot tantisque difficultatibus presſum, aggrediar? — Quin

etiam, hoc isto labore munus aggrediar, Clarissimorum quibus ante me haec provincia mandata fuit, Virorum doctrinâ splendidissimum?

Jam video A. A. in me omnium Vestrum oculos conversos. Multos esse intelligo, mei ingenii, facultatisque docendi, quamvis exiguae, aestimatores immodicos.

Hos omnes etiam atque etiam rogo, ut potius de hoc meo periculo sollicitos esse velint: quippe abhinc annis sexdecim venerandum muneris sacri curriculum ingressus, si quam exercitationem dicendi per totum hoc tempus acquisiverim, ea patrio sermoni adstricta, et circa argumenta, gravitate quidem ac praestantiâ eminentia, populariter vero ad cujusque captum tractanda, versata est.

Quod si animo oratoris perpendo officia, cui in hominum, summâ doctrinâ praeditorum coronam nihil nisi perfectum ingenio ac elaboratum in-

industriâ afferendum est: hujus operis mei laborisque difficultates totus intelligo. Celebratur autem erga tales viros indulgentia, qui suâ qualicunque eruditione ipsi minime contenti, quotidie et omni studio ad majora tendunt. Ad hanc vestram benivolentiam ac humanitatem confugienti, animis linguisque mihi favete A. A. dicturo *de variâ philosophandi ratione cum mentis humanae indole et progressibus comparatâ*.

Quod nostrum propositum ut accuratius cognoscatur; primum hoc nobis enitendum videtur, ut, quânam in re ponenda sit haec varia philosophandi ratio, intelligamus. Deinde hujus comparatio instituatur cum mentis humanae indole et progressibus.

De cognitionis philosophicae indole et amplitudine pauca tantum praemittemus, cum hoc argumentum viris doctis cognitum penitus et perspectum sit. Verum instituti ratio postulat ut

le-

leviter jam ab aliis vulgata tangamus de philosophiae indole finibusque.

Apud antiquos varias philosophiae definitiones invenimus. Recentiores itidem vario modo philosophiam definiverunt: cum suae quemque meditationes in latissimum vehant contemplationis campum. Plurimae vero scientiae nostrae descriptiones arctissimo et communi vinculo inter se cohaerent. Sive enim cum Antiquis sapientiâ intelligamus rerum divinarum et humanarum, caussarumque, quibus hae res continentur, scientiam; atque philosophiâ, PIJTHAGORÂ duce, hujus sapientiae studium et amorem; vel, cum PLATONICIS, animi corporisque solutionem et conversionem quandam ad ea, quae re vera sunt; aut ARISTOTELEM sequentes, eam artem artium ac scientiam scientiarum appellemus; sive, cum recentioribus, illam quae fieri possunt rerum scientiam; vel, ex mente KANTIANÂ, notitiam ra-

rationalem ex conceptibus haustam definiamus: omnes cum veteres tum recentiores philosophantes germanam posuerunt scientiam in absolutâ veri cognitione, et in vitâ moribusque ad hujus scientiae praecepta compositis.

Duplici igitur modo philosophiam possumus delineare, ratione *formae*, seu modi cognoscendi, ac ratione *argumenti*, seu materiae finiumque.

Si formam consideramus, omnes cum PLATONE, ad cognitionem certam stabilemque tendimus, contemnentes variam illam et mutabilem opinionem, quae speciem veri prae se ferens, ut ignis fatuus, tetris tenebris viatores allicit, fugientesque sequitur.

Ad argumentum vero quod adtinet, seu indolem objectorum et latitudinem; constat, philosophum, sensu latissimo, magno teneri desiderio scientiae cujusvis rei, quae rationis lumine cognoscatur; neque vero, quod probe notetur,

so-

folâ ratiocinii vi, feu intellectus lumine, fed quoque per ceteras animi facultates.

Cogitanti ergo de naturâ fuâ, ac mentis humanae indole, cuique patebit, rationem nostram in aeternum, fummum abfolutumque niti. Hoc abfolutum intellectus defiderat notionibus veris, voluntas conftantiâ, fenfus pulcri elegantiâ. Ubicunque ergo in abfolutâ ratione vivere, moveri et effe, vehementer quaerimus.

Haec autem rationis abfolutae cognitio, activa, quae in Deo est fumma fapientia, nec homini neque cuiquam in rerum naturâ tribui poteft.

Modesti ergo est philofophi, fe ipfum noscere; flagrantisfimo fapientiae ftudio incendi quidem, nunquam vero oblivisci finitae humanae naturae, ac mentis caliginis: quippe Deus O. M. folus fapit. Quod fi haec femper confiderasfent fapientiae amatores; philofophi multi non a naturae judicio tantopere discesfisfent. Verum, ut in re-

gi-

gione incognita per ambages peregrinator facile errat, nisi ducem peritum inveniat: ita diversas quoque vias ingressi sunt rerum perscrutatores, quarum exitus, saepe numero ab ipso scopo averterent. Quo factum est, ut varii varia φιλοσοφουμενα proferrent, et diversam in rebus philosophicis rationem sequerentur.

Hujus autem rei explicatio ut paucis commode fiat, triplici modo nobis instituenda videtur. Quoad enim longissime possumus respicere decursum philosophiae spatium; omnis philosophandi rationis varietas vel ad fontes humanae cognitionis pertinet, vel ad ipsam materiae diversitatem, vel ad methodum philosophorum spectat.

Ad fontes autem quod adtinet, e quibus sapientiae doctores placita sua hauriunt; jam pridem Baco de Verulamio accurate et eleganter animadvertit: „ *Qui tractaverunt scientias, aut* „ *empirici, aut rationales fuerunt. Empirici* „ *for-*

„ *formicarum more, congerunt tantum et utun-*
„ *tur. Rationales, aranearum more, telas ex*
„ *se conficiunt. Apis vero ratio media est,*
„ *quae materiam ex floribus horti et agri elicit;*
„ *sed tamen eam propria facultate vertit ac*
„ *digerit.*" (*)

Hos inter empiricos ex antiquis ARISTÓTELES, e recentioribus LOCKIUS principes sunt qui nominentur. Ambo enim, universis et conceptibus et decretis ab experientia derivatis, eo usque utrorumque usum extendunt, ut et Deum esse, animumque immortalitate gaudere argumentis empiricis aeque evidenter se posse evincere contendant, ac Mathematici quodvis suae artis perceptum demonstrant.

Rationalium vero, *qui scientiam nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus* (†), prae ceteris eminent PLATO, LEIB-

NI-

(*) BACO *de interpretatione nat.* Aphor. XCV.
(†) CIC. Acad. Quaest. l. 1.

NITIUS, FICHTIUS, SCHELLINGIUS, notitias innatas, vel e solâ mentis actione procreatas, longe praeferentes tabulae rasae ARISTOTELIS, LOCKII, et ceterorum recentiorum Gallorum, Anglorumque, qui, ex LEIBNITII sententiâ, ἐξωτερικως philosophantur.

Hos omnes, aranearum more, telas ex se conficere, omnibus notum est, quibus e variis hisce ingeniis excellentissima vel libare contigerit.

Ex his utrisque empiricis et rationalibus exemplum illud illustre exstitisse vehementer admiramur, quod nobis in aeternam sui memoriam NEWTONUS reliquit. Hic enim summi ingenii vir, in mathematicis philosophiae naturalis principiis, et in suis optices lectionibus, illa procul dubio BACONIS apis est, seu ratio media, quae materiam, ex floribus experientiae manatam, propriâ mentis facultate vertit ac digerit.

Alteram deinde philosophandi rationem ponimus

in delectu materiae vel objectorum, quae quidem cognitioni humanae certa atque explorata esse possunt.

Quamvis enim ab initio a philosophis multa quaesita et disputata sint de summi Numinis virtutibus, beneficiis, voluntate; nec non de hominis naturâ finibusque; de magnis Dei operibus in hoc mundo adspectabili, totiusque Universi ordine et consensu: ratione tamen notae veri, vel *sensum* sequebantur ducem vel *intellectum*; unde non immerito appellantur philosophi *sensuales* vel *intellectuales*. Sensualium princeps EPICURUS totam et contemsit et irrisit dialecticam, judicia rerum in sensibus posuit, quibus fallentibus sublatum esse omne judicium veri et falsi putavit. Huic sententiae se opponens PLATO, intellectualium chorum ducens, contendit, in sensibus inesse nihil nisi speciem, solaque intelligentiâ verum cognosci.

Ut varia philoſophandi ratio exponatur, veniat denique in medium diverſa *methodus*, quae haud incommode in quatuor claſſes nobis diſtribuenda videtur. Prima ſit *dogmaticorum* ſtatuentium vel negantium, verum et eſſe et percipi poſſe. Altera *Scepticorum* est, qui judicium cohibent et deliberant. Horum ratio egregie explicata est, et eruditis cognita Sexti Empirici, Schulzii (1) Staeudliniique (2) ſcriptis.

Tertium methodi genus, quod nobis hiſtoria offert, ratio est *eclectica*, cujus adſectatores apum exemplum ſequuntur, e floribus ſuccum exſugunt, atque profitentur ſe ex omnibus optima ſectis eligere, eorumque disſenſum ad conſenſum redigere.

His tribus philoſophandi methodis adjungamus quartam, antiquis *ſocraticam*, recentioribus autem

 ma-

(1) Conf. *kritik der theoretiſchen Philoſophie von* G. E. Schulze.

(2) *Geſchichte und Geist des Skepticismus von* C. F. Staeudlin.

magis excultam, *anthropologicam* dictam. Socratica autem quam hic dicimus methodus de ratione philosophandi debet intelligi, neque respicit socraticam docendi methodum. De ipsius autem ratione philosophandi audiamus CICERONEM, referentem: „ *Socratem primum philosophiam de-* „ *vocasse e coelo, et in urbibus collocasse, et* „ *in domos etiam introduxisse, et coegisse de* „ *vitâ et moribus, rebusque bonis et malis quae-* „ *rere*" (1). Ex Socraticorum libris intelligitur, ejus rationem philosophandi consistere: „ *in pro-* „ *fessione ignorantiae, in dubitatione de omnibus* „ *rebus, quae cum virtutis studio non conjun-* „ *ctae esse videntur; in opinione coelestia, quin* „ *etiam majorem humanae doctrinae partem pro-* „ *cul esse a nostra cognitione, vel si maxime* „ *cognita essent, nihil tamen ad bene viven-* „ *dum*". (2)

So-

(1) *Cic. Tuscul:* 5, 4.
(2) *Acad. Quaest. l. I. c.* 4.

Socratis ergo philoſophia popularis quidem; ad ſenſum communem compoſita, in omnes partes activa, minime vero *ſcientia* dicenda est: quippe Socrates neſcit, quo usque humana procedat ſcientia, quis nostrae cognitionis ſit finis, quis ambitus indolesque.

Recentiori demum aetate Humius, Federus, Platnerus, Garvius, aliique viri acutisſimi, praecipue autem Hemsterhusius noster, Tiberii filius, philoſophus aeque ſubtilis atque elegans, ſocraticam illam perfecerunt rationem, quae Kantio critica, aliis anthropologica nominata, cum animi facultates, tum rerum cognoscendarum materiam, ſuis finibus circumſcribere ſtudet, ut appareat, quo usque et haec pateat et humana facultas pervenire posſit.

Jam perſpecta diverſa philoſophandi ratione, ſuccedat praecipue nobis poſita quaestio. Venimus enim A. A. ad alteram orationis partem, qui va-

 ria

ria haecce ratio cum mentis humanae indole ac progresſibus comparetur.

Sed hic magnus ſe nobis aperit campus, in quo oratoribus poëtisque liceat late vagari, minimé autem philoſopho. Huic ſedulo cavendum est ne quae dilecta opinio vel partium ſtudium de progresſu philoſophicae cognitionis judicium praecurrant et occupent.

Nihil enim niſi verum quaerimus: nec ulla nobis de philoſophiae ſtudio indoleque placere ſententia potest niſi vero congruat.

Ut ergo, ſub ipſam itineris ingresſionem, viam, ut ajunt, *a priori* evitemus; de philoſophiae fatis historia aequo animo conſulatur necesſe est, ſemper quidem ratione habitâ ſtatus imperii, literarum, cultus, religionis, indolisque gentium, quae omnia vel maxime valent ad philoſophandi facultatem in hominum ingeniis informandis vel impediendis.

Ne-

Neque vero haec historica cognitio methodusque ad scopum ducent, nisi cognitam variam philosophandi rationem cum ipsâ mentis indole pro diversâ generis humani aetate ac progressibus comparemus, nobisque quaestionem continuo ponamus, quâ potissimum ratione ingenii facultates ad philosophiam tractandam exerceantur.

His omnibus bene perpensis, philosophiae historiam a primâ inde origine repetere, et memoratas servare regulas, ad quas judicium de philosophiae conditione dirigatur, difficillimum est negotium, herculeusque labor! Quippe ad similium quaestionum solutiones etsi multi multa contulerunt, et ab illustribus scientiarum academiis splendidis sunt praemiis condecorati; multum tamen restat operis, multumque restabit, usque adeo donec philosophi de optimâ philosophandi ratione ipsi consenserint. Hujus autem rei enarratio cum longior sit, quae hac contineatur oratione, si-

quidem omnia, quae huc pertineant in medium proferre velim; respiciamus tantum philoſophiae, quam modo explicuimus, varietatem, ratione fontium, incrementorum et viciſſitudinum, cum historicè tum pſychologice.

Totius philoſophiae initia ex Graecia repetenda eſſe, ſatis multis veterum monumentis conſtat. Si quidem apud Barbaros disciplinae hujus ſpecies fuit exigua, eam natam propemodum Graeci acceperunt, denuo protulerunt, educarunt, auxerunt.

Graeci fuerunt plerique eorum, qui ſeptem ſapientum nomine celebrantur. Graeci fuerunt Gnomici, qui vitae praecepta carmine reliquerunt. Post vero quam poëſis jam diu ante alias doctrinas floruerat, Jones fuerunt, qui primi, Thalete duce, philoſophati ſunt de rerum ortu et naturâ, de coeleſtibus corporibus, de immenſo et infinito, de materiae mentisque motu,

atque discendi dilectationi, divino quodam afflatu, toto ſe animo dederunt.

His temporibus, ut eleganter obſervarunt WYTTENBACHIUS et MEINERSIUS (*), Viri celeberrimi, multis locis philoſophi cum poëtis conſentiunt.

Prius enim poëtae cecinerunt Deorum generationes, ortumque naturae, ut philoſophi, ex poëtarum imaginibus, notiones univerſales derivarent, atque ita, ne imaginibus quidem ſpretis, puerilem generis humani aetatem ad philoſophiam informarent. Ita quidem ex ſenſu pulcri ſublimisque, ex admiratione nata est philoſophia, ex animi commoti in rem admirabilem intuitione, ex puerili ignoti cognoscendi cupidine.

Totum hoc theatrum pulcherrimum, ſol ſplendidisſimus, terra munificentisſima, mundi corpora, foſſilia, vegetabilia, animantia, coelestium mo-



(*) Vid. Bibliot. Crit T. 8. p. 95 ſqq.

motuum harmonia, virium efficacia, haec omnia animum ad summum excitant, divino pulcri sublimisque sensu imbuunt. Circa fontes et rivos, ubi cecinerant poëtae:

*Felix qui potuit rerum cognoscere causas!*

Ibi, amoenissimis locis, poëtas excipiunt philosophi, ut rerum naturam contemplentur, et de consensu partium, de harmonià universi mediten-tur.

Hoc seculo aureo, puerili sane, sed felici imaginationis aetate, nil propemodum sine imaginibus cogitabatur: in singulis philosophiae partibus nulla quidem erat perfectio, nullum adhibebatur artificium; nullum Αρχέτυπον nisi ipsa natura proponebatur; nullam sequebantur scholarum methodum, sed per omnia Graecorum antiquissimae philosophiae monumenta, per placita *Eleaticorum* et carmina, per ordinem atque rationem PYTHAGORAE, per universas Veterum meditati-

o-

ones philoſophicas vigent ingenii vis, imaginationis dotes, rationis imperium.

Mundum adſpectabilem et intellectualem, coelum et terram, Deum atque hominem, animum et materiam, libertatem et fatum, omnia philoſophica argumenta his temporibus promiscue contemplabantur homines, et quod cognitum aut probabile, quod pulcrum vel ſublime, quod bonum et honeſtum videretur, per colloquia vel carmina cum amicis communicabant.

At alia prorſus eſt ratio philoſophiae in dies creſcentis. Quae ex admiratione nata eſt filia mox matrem expellit, ſeu ipſum ſtuporem, ab ignoratione profectum. Ubi enim ſcientia incipit, ibi admiratio deſinit. Quo ſpectat HORATIANUM illud ad NUMICIUM:

*Nil admirari prope res eſt una, Numici!*
*Solaque quae posſit facere et ſervare beatum.*

Plurimi vero, juvenilem aetatem vix aut ne

vix quidem attingentes, ſcire ſibi videntur quae neſciunt. In utramque partem incipiunt δογματίζειν, qui neque aſſiduis obſervationibus rerum naturam ſatis explorarunt, neque ſuas ipſi meditationes, aut acceptas a patribus traditiones, aequo animo examinarunt. Sunt qui puerilia tractent, ex chartis luſoriis domus fabricent, quas Συςήματα vocent, easque firmas et ſtabiles eſſe tenaciter contendant. Sunt qui aliorum judicia, ut ſatellites, ſequantur, et cum PYTHAGORAE discipulis in verba magistri jurent.

Ne vero putetis A. A. totam dogmaticorum rationem nobis contemnendam videri. Quod ſi fierit, de ipſâ philoſophiae indole ac finibus perperam judicaremus. Gaudio potius afficimur magno, conſiderantes naturae noſtrae conditionem, quae ſingulari Dei beneficio eſt ejusmodi, ut cognitionis ſyſtematicae, ad ſummum tendentis omnibusque numeris abſolutae vel maximo flagremur

de-

desiderio. Quippe in animo humano, duce atque imperatore vitae mortalium, est ipsum certi principium, evidentiae claritas et ardor, atque fontis perennis instar, summum consensus integritatisque studium.

Ante vero quam hunc scopum attingit mens humana, quod in aeterna vitâ nobis ejus pensum esse videtur, multis lentisque gradibus ab humilioribus ad superiora adscendat est necesse. Sensim enim ad ingenii cultum, lentissime ad ἀκμὴν suam gentes perveniunt. Per varios casus labuntur, vel ab aliis victae populis politioribus, in eorum studia et mores traducuntur. Simile quid humano philosophanti ingenio accidit. Variae naturae dotes, animi facultates, notiones empiricae, observationes, inductiones; variae iisdem loci temporisque opportunitates, ceterarum artium et disciplinarum fata praecipua, quaedam rerum cognatione mirificé conspirant ad varia φιλοσοφούμενα producenda.

Ionica, ut primum in vivido poëtarum pectore viguit philosophia, et ab admiratione poëtica profecta esse videtur, ab initio imaginibus fuit ornata multis. Sensim autem imaginationis fervorem refrigerat intellectus. Jam poëtico fere habitu in oratorum imperium transiit, quorum rationem dicendi et ornandi ad subtilius quoddam veri inquirendi atque disserendi genus adhibuit; mox vero poëtarum imagines oratorumque ornatum contemsit; et sic, per temporum cursum, quam multis laudibus veteres celebrant, artem *dialecticam* Eleatici in philosophiam introduxerunt.

Antiquissimis vero temporibus dialectica *rationem* significavit *philosophandi notionibus abstractis, a sensibus remotis.* Mox autem in dies crescens ad artem criticam de *notionibus rerum veris*, viam stravit dialectica ad *Sophisticam*, quae de omnibus rebus in utramque partem disserit. Ut pueri malefici, excitati primo calliditatis speci-

ci-

cimine ſeliciter exhibito, ad inſolentiam facile transeunt, omnesque vires intendunt, quo petulantius agere poſſint; ita propemodum hac Sophistarum aetate, mens humana omnes ſcientias artesque rhetoricas in malam partem adhibuit.

Quaenam fuerit noxia, in Graecos, Sophisticae artis efficacia; quae deinceps corrupta puerorum inſtitutio ab illis profecta; quae a Sophistis perturbata rerum conditio: paucis abhinc annis, a DE GEERIO nostro, viro Ampliſſimo, eleganter et copioſe explicatum est. (*)

Ex eleaticis meditationibus bipartita philoſophandi methodus orta est, rationalis et empirica, ita ut dogmaticorum Sectae, ab eo inde tempore, in has duas partes praecipuas discrepent; duorum ramorum inſtar, qui ex eodem trunco emiſſi,

ex-

(*) Cf. *Diatribe in politices platonicae principia*, *auctore* J. L. G. DE GEER.

ex eadem terrâ succum traxerant, unaque crescentes, uberrimos aliquando fructus promiserant, sed, manu maleficâ ab arbore abrupti, etiamnunc virides per terram jacent, mox autem exsiccati flaccescere incipiunt.

O felicem humanae mentis indolem, quae omne unius partis studium prohibeat, vel, si tantâ vi, quae frangi non possit, nonnumquam, perverse impellatur, laesae naturae crimen denique gravitate poenarum compenset, suamque potestatem resumit!

Ita, quo tempore Sophistarum fraudes permulta in perniciem traxerant ingenia, SOCRATES, vir in aeternum venerandus apparuit, seculi depravationi se opposuit, Sophistarum calliditatem artemque vanam ludibrio exposuit, humanam mentem ex aridis dialecticae contemplationis regionibus ad ipsam vitae sapientiam reduxit, atque „ *a* „ *rebus occultis et ab ipsâ naturâ involutis, in*

„ *qui-*

„ *quibus omnes ante eum philosophi occupati fu-*
„ *erant, philosophiam avocavit.*" (*)

Nec tamen Socrates innatam rerum occultarum cognoscendarum cupidinem expellere potuit. Philosophiam ad communem hominum captum instituit; ab unâ parte activam prorsus in vitâ ac moribus posuit, ab alterâ vero contemplativam removit, contemsit, neglexit. Inde factum, ut ab illo plures ortae sint familiae dissentientes, omnes quidem ad summum bonum tendentes, verum id ipsum diversis modis persequentes. Quinam autem in hoc literarum genere tam hospites sunt, ut Platonis, Aristotelis, Zenonis, et Epicuri nomina nesciant, nec eorum meritis immortalitatis laudes tribuant? O terram illam beatam, horum virorum patriam, ubi non modo Musae res gestas heroum descripserunt, et cecinerunt, sed insuper summa et acutissima



(*) Cic. *Acad. Quaest. l. I. c. 4.*

philosophorum floruerunt ingenia! Vel unus PLATO suffecisset gloriae tuae ad sidera tollendae!

Ne timeatis A. A. hanc Graeciae in rebus philosophicis splendorem obscurari magnâ Scepticorum nube. Hoc quoque ex naturâ mentis facile explicatur φαινόμενον, quin etiam cum ejus progressibus arctissime est conjunctum.

Cognitio veri, boni atque pulcri absoluta quidem et integra magna est totius philosophiae argumentum. Certum Socratici frustra renuntiant, ac probabile sibi satis esse contendunt. Mens humana non quiescit, nisi verum invenerit, nec professione ignorantiae contenta est, nisi fines scientiae caussasque designare possit. Quibus nondum perspectis haesitat, et quaerere pergit, ne de suâ ipsâ indole discedat.

Sin vero quisquam verum se invenisse venditat, aut philosophus modestus placitorum seriem systematice ordinatam in lucem ducit: mens hu-

mana, omni quâ par est aequitate et scientiae cupiditate, ad Σύςημα contemplandum examinandumque accedit; fundamentum, aedificium, architecturam perscrutatur; principia, definitiones, axiomata, postulata, theses, nexus, consequentias, omnia perpendit; atque rerum novitate, formarum elegantiâ, partiumque dispositione decepta, cum ARCHIMEDE saepius clamat εὔρηκα, εὔρηκα! Sed „ *opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat.*" E primâ consternatione revalescens mens humana, philosophiae palatium quod fulget fortassis seculi splendore, oculorum aciem coecanti, denuo examinat; omnia artis criticae adminicula adhibet; omnia explorat; partes cum partibus comparat; fundamenta labefactare conatur; et ecce! labuntur! — Quid mirum, si dubitare pergat, si scepticus maneat.

Is vero semper manere nequit, cum positam

ἀταραξίαν e scepticorum ἐποχῇ profluentem numquam attingat! Hinc illae lacrymae de vanitate scientiarum, de rebus fictis, de phrenesi philosophorum, de ipsis rationis limitibus! Quo usque tandem ars philosophica procedet in systematibus condendis? — Nonne PLATONIS, ARISTOTELIS, ZENONIS, EPICURI, CARTESII, SPINOSAE, LEIBNITII, FICHTII, SCHELLINGII placita sufficiunt ad finitam humanam naturam mentisque caliginem manifestandam? In quem finem abutentur philosophi acutissimis viribus, ingenii dotibus, temporum opportunitatibus? — Ad has similesque quaestiones humani ingenii indoles respondet: *in ipso vero unice requiesco!* vel cum TULLII verbis „ *Neque istas quaestiones exterminandas* „ *puto. Est enim animorum ingeniorumque na-* „ *turale quoddam quasi pabulum, consideratio* „ *contemplatioque naturae. Erigimur; elatiores*

*fi-*

„ *fieri videmur ; humana despicimus ; cogitan-*
„ *tesque supera atque coelestia , haec nostra ,*
„ *ut exigua et minima , contemnimus. Inda-*
„ *gatio ipsa rerum tum* MAXIMARUM , *tum*
„ *etiam* OCCULTISSIMARUM , *habet oblecta-*
„ *tionem.* (*)

Quid ergo ? cum lateant ista omnia , nullique philosopho contingat penetrare in coelum ? — Ne philosophemur , nec quietem philosophorum quaeramus ! In illam potius nitamur , ut

*patulae recubans sub tegmine fagi*
*Ac lentus in umbrâ*

cujusque captus , sensusque communis , quisque dicat :

*O Meliboee ! Deus nobis haec otia fecit !*

In rebus autem philosophicis talia otia summo jure irridentes , alii philosophorum dissensum ad consensum redigere student. Hanc eclecticam me-

 tho-

(*) CICER. *Acad. quaest. l. IV.* 41.

thodum, bene directam, magni esse momenti, nemo facile infitias ibit, qui ejus naturam, principia et fines bene cognoverit. Quippe omnes non omnia possumus, variarum philosophiae partium magna est amplitudo, in diesque extenditur. Nec unius hominis aut aetatis est, sed omnium gentium cultarum, philosophiam ad ἀκμὴν suam promovere. Praeterea hanc philosophia partium habet constitutionem, ut quaedam ex longinquis multisque observationibus derivandae sint; aliae vero partes arte criticâ, ingenio acutissimo, rerum peritiâ multarum, anthropologicarum, civilium, cosmologicarum, aliarum indigeant. Quid plura? Omnium scientiarum operâ ac studio philosophia per bis mille et quadringentos annos, lento gradu procedens, saepiusque a veritate deflectens ad eam rerum conditionem pervenit, quam hodie obtinet.

Praestat igitur, cum Eclecticis, majorum inventa

ta perficere, quam philofophos fequi, qui, verbis faltem et nominibus, disciplinam prorfus novam condere gestiunt.

Verum fi quae philofophiae ecleticae vera fit commendatio: quaeritur, idque ab illuftri fcientiarum focietate (*) quaeritur: *Qualis illa tum esfe debeat?* Utrum liceat, varias inter fe connectere thefes, quarum principia e diverfis fontibus manent, ac toto coelo diftent? — An illa fit Eclecticorum ratio commendanda, ut, ad calcem cujusvis fyftematis, variis locis, noftras ipfi cogitationes, aliasque diverforum antiqui et recentioris aevi fcriptorum inferamus, atque ita Σκελετὸν vitiofum variis varii coloris materiaeque laciniis vestiamus? — Quod cum pluribus antiquis et recentioribus eclecticis accidisfe conftet,

 nul-

(*) Propofita est haec quaestio ab Academiâ Danorum regiâ quae est *Haphniae* A°. MDCCCVIII. Vid. Univerf. liter. Nuncius (*Allgem. Literatur-Zeitung*) a. c. p. 446.

nullus dubito, quin Vos, A. A. mecum consentiatis de eclecticae rationis virtute vitiisque. Materiam quod adtinet, philosophia eclectica magnum est multae scientiae horreum. Hoc intuentes veneremur cum SENECA (*) „ *inventa sapientiae inventoresque: adire tanquam multorum hereditatem juvat.*"

Ipsius autem methodi eclecticae ratione, cum eodem philosopho dicamus: „ *Etiamsi omnia a Veteribus inventa essent; hoc semper novum erit*, USUS *et inventorum ab aliis* SCIENTIA *et* DISPOSITIO."

Nam tota eclectica ratio nihil valet, nisi prius ars critica ad scientiam ac dispositionem viam straverit. Haec est illa antiqua Socratica, recentioribus anthropologica ratio, quae hominem, priusquam de rebus philosophari incipiat, ad se ipsum attendere docet, cujusque fons, principi-

um

(*) Ep. LXIV.

um et finis est illud delphico templo inscriptum: Γνῶθι σεαυτόν.

E magno recentiorum numero Grotius noster activam, Hemsterhusius vero et Kantius utramque philosophiam exemplis illustrarunt.

Immortalis *Operis de jure belli et pacis* Auctor experimentalem, a Bacone commendatam viam ingressus est. Ubicunque diversas seculi formas, variam hominum gentiumque indolem, diversos populorum mores respicit. More eclecticorum, ex ingenti suâ memoriâ, fontis perennis instar, doctrinae copiam pro lubitu ac re natâ hausit. Eximiis vero ingenii dotibus praeditus artem criticam naturalem adhibuit, et lumine rationis praelucente viam empiricam, egregium opus absolvit.

De Hemsterhusii meritis in germanam philosophiae rationem quid est quod hic loci dicamus, cum praestantissimi hujus viri scriptis quanta vis insit ad promulgandam philosophiae di-

gnitatem ejusque ſtudium recte inſtituendum, nondum explicatum ſatis ſit, ut paucis verbis abſolvatur.

Philoſophus regiomontanus, etiamſi nobis in multis erraſſe videatur, nec in omnibus KANTII methodus placeat, criticam philoſophandi rationem reſtituit, ad majorum inventa dijudicanda adhibuit, viamque ad germanam philoſophiam aperuit, quam FRIESIUS feliciter ingreſſus excoluit atque omni ex parte perfecit. Utinam vero nullus ſit, qui ſervili animo hos alioſve ſequatur philoſophos! nullus ſit, qui partium ſtudio ſeductus, a viâ regiâ anthropologicâ unquam recedat! ſed quotidie id ſtudeamus, ut materiam, more empiricorum et eclecticorum congeſtam, propriâ facultate, more rationalium digeramus.

Quae ſi nobis ſit ratio philoſophandi, naturae noſtrae ſenſuali et rationali aeque congrua, verum bonum et pulcrum videbimus, quatenus mentis aciem neque fugiant, neque vires noſtrae videre

re-

recusent. Eo usque ergo philosophemur, donec humanae scientiae limites attingamus, PASCALII sententiae memores: „ *Sapientis esse scire ubi* „ *statuendum, de quibus dubitandum, quando* „ *credendum sit.*" (*)

Ad hanc sapientiam illustris hujus Athenaei Cives ducere, ipsum munus officiumque est, quod, hodierno die, Summi Numinis benignitate, solemni actu auspicor.

Ad Vos ergo se mea convertit oratio, Daventriae Rectores et Athenaei Curatores, Viri Amplissimi! Gravissimi! Gratias Vobis ago quam maximas pro vestris in me collatis beneficiis, pro hoc mihi oblato munere, praestantiâ et honoris gravitate conspicuo! Ex vestro igitur Senatus Amplissimi decreto huc vocatus sum ad eas scientias docendas, quas a primâ inde juventute per to-

(*) Vid. *Pensées de* PASCAL. *Soumission et usage de la Raison.*

totam vitam vel maxime dilexi, vehementer veneror, ultimamque ad metam amabo. His ergo, ex vestrâ voluntate, me totum dedicabo! O inaestimabile gaudium! O voluptatem dulcissimam, quâ fruuntur ii, qui, cum alio munere impediti, non nisi horas subsecivas his studiis impendere potuissent, jam iisdem ex officio, per totam vitam, dediti esse possint; quibus, si quâ polleant ingenii vi, ac magno eorum desiderio flagrent, se natos esse sentiant! Maximae inprimis sunt deliciae e studiis mathematicis et philosophicis profluentes. Utinam illas, quantas animo sentio, cum Auditoribus meis communicare liceat! Ad eas percipiendas, et in animos juveniles effundendas, aliam vitae rationem, non minus honorificam, urbem amoenissimam, necessarios, amicos, cetera omnia reliqui, et ad Vos transii. Pro vestrâ humanitate, Viri Amplissimi! eâdem benivolentiâ, quâ me in hoc suggesto hodie constituistis,

ſtis, honorare me pergatis, etiam atque etiam rogo. Vires meas, qualescunque, intendam omnes, ne tanto favore indignus fiam. Me totum domumque meam Veſtro patrocinio enixè commendo. Deus Optimus Maximus Vos, omniaque veſtra conſervet, Viri Amplisſimi, omnibusque veſtris conatibus felicem ſucceſſum largiatur in augendam Civitatis ſalutem, in Athenaei gloriam promovendam!

Rector Magnifice! ceterique hujus Athenaei Profesſores, Viri Clarisſimi! Ad vos accedo, omni, quâ par est, veneratione, cum veſtras ingenii animiqué dotes et mearum virium tenuitatem penitus ſentiam. Lugubri fato praeſtantisſimum Antecesſorem, a cujus conſiliis, rerum uſu et humanitate tantam voluptatem percipere, aliquando ſperaveram, vivum mihi videre, eheu! non contigit; Ad Beatorum ſedes ex hac mortalium vitâ tranſiit Ladislaus Cherna-

ctus, Vir Clarissimus, de scientiis, de hoc Illustri Athenaeo optime meritus, cujus obitu Vos omnes Collegam amisistis eruditissimum, integerrimum. Me jam recepistis ejus successorem omni benivolentiâ, gratus enim et acceptus ad Vos veni. Consiliis ergo vestris et doctrinâ aeque atque amicitiâ pergite quaeso me sustentare ubi vires deficiunt. Recipite me, bonarum artium ac disciplinarum aemulatorem, qui pro viribus Athenaei gloriam Vobiscum tueri semper conabor. Pater Omnipotens servet Vos incolumes, nostrumque animorum consensum! Ille sustentet vires vestras in Scientiarum, Ecclesiae Patriaeque salutem!

Denique Vos compello! Juvenes Ornatissimi! Commilitones dilectissimi! De variâ et optimâ philosophandi ratione nostram audivistis sententiam, ad BACONIS judicium compositam. Utinam vobis illa studendi ratio placeat, quâ nulli

pri-

priusquam philofophari liceat in fcientiis mathematicis phyficisque perinde atque in literis humanioribus probe verfatus fit. Hanc a PLATONE ceterisque antiquis vehementer commendatam viam fi vos ingredi velitis, recipite me, jam ab itineris ingresfione, ut veftrum ducem et amicum. Vobis ftudiisque veftris me totum devovebo. Utinam germanam, quâ in hoc Athenaeo imbuitur, juvenum animus fervet fapientiam, adhibeatque in Patriae Ecclefiaeque falutem!

Quod quidem hoc ipfo die lubenter fit, fuperest, ut benivolentiae veftrae me commendem! Cives! Hospites! Amici! omnis ordinis, loci, dignitatisque. Fugit hora, reftat opus. Ut fuum quisque pro viribus abfolvat, adfit omnibus DEUS OPTIMUS MAXIMUS!

DIXI.



